

036

034

040

030

045

025

085

135

Ende

Anfang

21

Quinto. Malos et gentem peccatrinum cemquam diutius  
in ea morari sustinuit, sed mox completis iniquitatibus ignominiose  
ejecit. Quod legenti scripturas notum est, usque ad moderna  
tempora. Nec putet quis, gentem illam, quae nunc eam  
possidet, diu mansuram, quia et ipsi Sarraceni desperate.(S A)  
suam exspectant expulsionem.

Sexto. In hac terra ante incarnationem solum templum  
habere voluit, et in eo solum sacrificia acceptare. Nec erat  
templum aut sacrificium in mundo sibi placens, nisi in hac  
terra factum.

Septimo. Familiarius se Deus habuit ad hujus terrae  
habitatores, quam ad quoscumque alios, ibique frequentius  
angelos apparere permisit.

Octavo. In illa terra miracula, signa, et prodigia fecit  
toto orbe stupenda, magis quam in quacumque parte mundi.

Nono. In hac Deus prophetas, patriarchas, sacerdotes, et  
reges per se ipsum posuit et ordinavit.

Decimo. In hac terra voluit incarnari, matrem sibi  
dignissimam condere, ex virgine nasci, circumcidere, baptizari,  
conversari, discipulos eligere, praedicare, miracula facere,  
sacramenta instituere, pati, crucifigi, et mori, sepeliri, resurgere,  
hinc in coelum ascendere, hic spiritum Sanctum apostolis  
mittere, ut ab hinc totus mundus sciret suam salutem effluxisse.

Undecimo. Curiam et Consistorium suum ac tribunal in  
hac sibi dilecta terra collocavit, ibique judicio disceptabit in  
fine mundi cum omnibus filiis hominum.

Duodecimo. Deus terram illam singularissime illustravit, ita,  
quod omnia, quae in ea sunt, sint alicujus magni mysterii signifi-  
cativa, quod non est in aliis terris. Tota enim terra illa est doc-  
trinalis. Nam situs ejus, civitates, villae, castra, domus, montes,  
colles, campi, valles, maria, flumina, fontes, cisternae, aquae,  
siccitates, arida, petrae, lapides, aspera et plana, deserta et  
cultae, viae et invia, horti, arbores, nomina locorum, omnia  
sunt mysteriis plena, et divina quaedam in se continent  
sacramenta, quae vel sunt de mysteriis divinis, vel de moribus  
humanis.

Ex his duodecim signis patet, quod Deus prae omnibus  
mundi terris hauc singulariter dilexit, Ex quibus merito

